

fernung war zwischen den Klöstern am Rhein und in Böhmen ein recht reger brieflicher Verkehr vorhanden. Der Empfänger Godschalk ist der Abt des neu gegründeten Klosters Selau in Böhmen († 1184).

Die Sammlung verdient einen vollständigen Abdruck. Als Probe sind in den Anlagen zwei Briefe mitgetheilt.

Anlagen.

I. Ulrich an Bischof Daniel von Prag.

Danieli dilecto domino ac vere reverendo pontifici frater U. si quid valet peccatoris oratio. Novit sublimitas vestra, quanto humane consolationis auxilio in brevi destituti sumus, tam nos quam fratres nostri, qui apud vos sunt. Cum enim recolo sanctitatem ac prudentiam venerabilis viri Moraviensis episcopi et zelum nobilis ac deo devote ducisse Boemie, quem circa religionem habuit, ac strenuitatem sancti patris nostri, cuius onus ad me indignum et viribus tam corporis quam animi destitutum translatum est, fateor prudentie vestre, etsi eorum beatitudini congaudeam, non parvum tamen nostre desolationis attendo periculum. In quo unum tamen reperio solatium, quod vestram altam prudentiam et prudentem altitudinem sic zelus divini cultus temperavit, ut plus vobis placeat religiosa Christi pauperum humilitas, quam vana potentum huius mundi sublimitas. Quod et vobis erit contra varia huius vite pericula firma defensio et Christi pauperibus, qui sub vestro regimine degunt, tuta protectio. Unde divinam clementiam cotidianis precibus pulsare non cessamus, ut inter mundanas varietates vestram prudentiam sic regat¹ ac defendat, ut nec frangatur adversis² nec extollatur prosperis. De cetero, quantum audemus, discretioni vestre suggerimus, et suggerendo instanter rogamus, ut fratres nostros abbates de monte Sion et Siloe ad persolvendum ordinis institutum hoc anno venire vestra consentiat paternitas. Desiderant enim eos patres ordinis videre, et nos tam de suis quam nostris negotiis plura habemus cum eis conferre. Poterit enim vobis fortasse ex nostra mutua visitatione aliquid spiritualis consolationis accedere. Conservet deus sanctitatem vestram diu incolumem, pater venerande.

1) 'rogat' cod.

2) 'adversus' cod.